

venditori, nec ex industria & habilitate emptoris, sed ex eo, quod communiter in talibus circumstantiis judicatur valere res. Jam supposito, quod mercator non habeat magnam spem obtinendi summam sibi debitam, certum est, hanc summam minoris aestimari; & consequenter Titium licite eam emere posse leviore pretio. Excipitur tamen casus, quo Titius esset unus ex præcipuis debitoribus, & studiose distulisset, solve- re debitum, ut illud dein possit emere minori pretio. Et hæc opinio communis Doctorum est. C. B.

CASUS LVII. Seius mutuos dat Livio 100. florenos ad decem annos. Ambo conveniunt, ut, si unus eorum intra terminum præfixum moriatur, mutuarius sit solutus debitor; si vero ambo vitam protrahant ultra præfixum terminum, mutuarius quidpiam solvat ultra sortem

§. Contractus iste est licitus, si id, quod mutuuario est solvendum ultra sortem, taliter est determinatum, ut uterque in æquali periculo perdendi, & æquali spe lucrandi sit constitutus. Ratio est; quia ambo sunt incerti de eventu. Jam, si periculum perdendi, & spes lucrandi ex utraque parte æqualis est, contractus iste habet omnes qualitates eum licitum reddentes. C. B.

CASUS LVIII. Emptores cum solvere recusarent pro merce, quod petiit mercator, hic mentitur, & falsum jurat affirmando, sibi met ipsi hanc vel illam mercem pluri constituisse: unde evenit, ut emptores augeant pretium ab initio oblatum. Jam quaeritur 1. Utrum mercator tuta conscientia possit recipere hoc augmentum pretii? 2. Utrum fraudem & technas adhibens ad inducendos emptores, ut solvant summum pretium, quod tamen supponitur esse justum, teneatur ad restitutionem emptoribus?

§. Ad 1. Si hoc augmentum excedat limites justii pretii, mercator non potest tuta conscientia illud retinere; quia inter datum & acceptum non amplius reperitur æqualitas, quam exigit justitia commutativa. Si vero hoc augmentum non excedat limites justii pretii, illud retinere potest; & licet peccet mentiendo & pejerando, non peccat tamen hoc pretium recipiendo: ex una parte enim ejusmodi technæ in mercatoribus jam sunt cognitæ, ita, ut emptores sibi met ipsis imputare debeant, si induci se sinant; ex altera parte receptum est æquale dato. Ad 2. Mercator talis tenetur emptoribus ad restitutionem; sive quia emptor hac ratione inductus ad solvendum summum pretium non censetur consensisse in hunc contractum; sive quia hoc modo agendi læditur jus emptorum, quod habent, emendi infimo pretio apud alios mercatores. C. B.

Nota.

NOTA. Tales nundularii plerumque utuntur æquivocatione: vere enim contrahunt cum mercatores summo pretio in merces singulas, sed mercator illis condonat quintam, quartam aut omnino tertiam solutionis partem; & ideo dicendo verum peritis notorium non tenentur ad restitutionem. Peccant tamen graviter jurando æquivoce sine coactione notorie injusta.

CASUS LIX. Titius locavit domum Cajo, & durante tempore locationis eam vendit Petro, quin ulla in contractu mentio facta fuerit reddituum extraordinariorum domui annexorum. Ad quem pertinent isti redditus?

§. Dividendi sunt redditus isti ad mensuram & proportionem temporis, quo ambo, venditor scilicet & emptor domum possederunt. C. B.

Vide *Caupo. Commmercium. Contractus. Emptio. Officiales. Usura.*

## VERBERATIO.

Sermo hic est de punitione, qua infantes a parentibus, uxores a maritis, & domestici ab heris suis ex merito quandoque efficiuntur. Videre erit, licet non nunquam verberibus utendum, dum verba ac comminationes nil efficiunt, periculosum tamen esse, regulariter loquendo, hunc in modum castigare subditos; quia perraro id fit cum debita charitate ac justa moderatione, ac consequenter sine peccato, etiam ejusmodi punitio inchoetur ex optimo motivo.

CASUS I. Quintinus habet domesticos inobedientes ac vitæ dissolutæ, quos severissimæ ac iteratæ increpationes ad frugem non reducunt.

§. Absque ullo peccato potest eos verberibus castigare; dummodo id non fiat in æstu iræ, aut ex motivo odii. Nichilominus tamen nolim id ipsi consulere. *Pontas.*

CASUS II. Uladislav servans inviolatam tori fidem uxori suæ comperit, adulterinum eam fovere commercium. Hinc cum seriæ commonitiones nil effecerint, tentavit eam emendare verberibus.

§. Si eam sic castigat cum moderatione, & absque omni impetu iracundiæ, quod tamen in praxi admodum difficile est, non peccat. Prudentis tamen certo non est, hoc uxoriæ emendationis medium marito suggerere. Parlamentum Divionense 6. Martii 1597. edidit Edictum, vi cujus maritus quidam ad multam 200 florenorum fuit condemnatus, eoquod verberibus affecisset conjugem suam, injuncta simul inhibitione relapsus. Edictum hoc fundabatur in privilegio a *Duo.*

*Dist. Cas. Cons. Tom. III.*

§. r

capus

eibus Burgundiae olim concessio uxoribus, vi cuius a verbis  
tibus maritorum immunes esse debebant. *Pontas.*

## VESTITUS LAICALIS.

Agitur hic praecipue de usu vestium alterius sexus, qui  
plerumque peccaminosus est; licet quandoque ex rationabi-  
li causa possit esse licitus.

CASUS I. Senatores, nobiles, aliique dignitate eminenti-  
ores deferunt vestes longe pretiosiores ac alii cives.

¶. Non peccant, nisi excedant congruentiam status, aut  
ex mera ostentatione externam eminentiam affectent, & con-  
tra legem provincialem pannis ac ornamentis extraneis utan-  
tur. *Ne dignitatis auctoritas veniat in contemptum, ait S. Tho-  
mas, Et ad reverentiam auctoritatis inducendam licitum est, ut  
secundum modum propriae personae pretiosis utatur; sed peccatum  
est, si proprium modum excedat. Pontas.*

CASUS II. Gilberta Argentorato praefectura Parisios ca-  
piendae haereditatis causa, ne in manus militum in Alsatia com-  
morantium incitat, induit se veste virili rustica, & sic vestita  
iter peragit.

¶. Non peccavit: licet enim sit de genere prohibitorum  
assumere vestes alterius sexus, potest tamen juxta S. Tho-  
mam id quandoque fieri absque peccato, causa scilicet neces-  
sitarum; ut si mulieres sub veste propria sexus incurrerent pe-  
riculum violandae castitatis, aut si quis non haberet aliam  
vestem ad tegendum corpus, aut denique dum quis alio mo-  
do salvare non potest vitam vel libertatem propriam vel pro-  
ximi. *Pontas.*

CASUS III. Non nemo officinam promercalium vestium  
possidet, ex qua non sine copioso quaestu populo, nobili-  
bus, Principibus & Aulae suppeditat vestes ad lusus Bacchan-  
tium idoneas pro theatro aliisque solemnitatibus profanis.  
Potestne continuare hoc negotium?

¶. Licet ejusmodi vestes ludicae occasionem proximam  
praebant offendendi Deum, venditio tamen harum vestium  
peccaminosa non foret, si intra convenientes honestae eutra-  
pelicae limites contineretur. Qui ex ejusmodi negotiatione  
quamvis illicita lucrum fecit, non tenetur ad restitutionem.  
*Fromageau.*

CASUS IV. Matronda quaedam ad venationem se confert  
virili veste induta. Num licite?

¶. Licite sic incedit, si virum comitem, eique sic placen-  
di intentionem habeat; oportet tamen, ut vestis muliebris  
saltem partem retineat, ex qua semper sexus dignosci possit.  
in-

Interes si fors periculum incurreret excessiva hac exercitatio-  
ne se se laedendi, & ad praecreandas proles ineptam reddendi,  
a venatione prorsus abstinendum foret, rogandusque mari-  
tus, ut aliam ipsi indulgeat relaxationem minus defatigan-  
tem, sexuque magis convenientem. *De Lamet.*

CASUS V. Licetne viro induere vestes muliebris, &  
mulieri vestes viriles, & sic occultare sexum?

¶. Ejusmodi mutatio vestium ex natura sua mala non est;  
immo casu necessitatis licet sic sexum dissimulare. Nihilomi-  
nus ex suo genere involuit quamdam indecentiam & deordi-  
nationem; & licet haec deordinatio non semper constituat  
peccatum mortale, semper tamen annexum habet periculum,  
dum sit solum animo capiendi exinde voluptatem ac delecta-  
tionem. Peccat quis mortaliter, si aliena veste sexum suum  
occultet ex intentione prava, aut se periculo exponat pec-  
candi contra pudicitiam, aut proximo sic peccandi occasio-  
nem praebet. Ordinarie ejusmodi simulatio sexus alterius  
ope vestium nunquam permittenda est. *Fromageau.*

Vide *Habitus Clericalis. Larvatus. Ornatus muliebris.*  
*Vestitus muliebris.*

## VESTITUS MULIEBRIS.

I. Plane non nisi gemitus coram Deo edere licet confi-  
deranti vanos Nobilium mundi, maxime mulierum, orna-  
tus, & novos identidem se se vestiendi modos. Id praepri-  
mis dolendum, quod nulla propemodum honestatis, pudor-  
is ac verecundiae ratio habeatur, dum jam passim in nudatis  
mulierum ac puellarum pectoribus incentiva libidinis tam pro-  
priae quam alienae legere & videre est. Et haec quidem nul-  
la ratione, nullaque consuetudine cohonestari possunt, etiam  
universali; neque ut castae foeminae habendae sunt; quae sic  
vestitae, aut verius non vestitae, in publico comparent ac  
quorumvis indiscriminatim se se oculis exponunt.

¶. Sunt & alia circa vestes mulierum, quae non ita inho-  
nestatem, ut prodigaliter, vanitatem & saeculi stultitiam  
spirant. Et haec si homo privatus reformare aggrediretur,  
temeritatis argueretur, ob conatum licet pium, certe tamen  
frustraneum: foeminae enim etiam modestiores conformare se  
debent usui communiter recepto, nisi nota singularitatis in-  
signiri ac mundanorum effoeminatorum exhibitioni expone-  
re se se velint; licet & id non nisi successive, per gradus,  
& quam tardissime fieri deceat.

**CASUS I.** Agapia uxor cujusdam Magnatis pectore incedit nudato juxta receptam aliarum illustrium foeminarum consuetudinem. An a peccato excusari potest, si aliam intentionem non habeat, quam ut placeat marito, & aliarum suae conditionis foeminarum morem sequatur?

**g.** Consuetudo ordinarius praetextus est; quo libertini se, suamque vitae licentiam excusare solent. Quidquid prohibitum est jure naturali aut divino, consuetudine contraria licitum fieri nunquam potest; licet consuetudo justis ex causis derogare possit juri positivo humano novam obligationem imponenti. His praesuppositis patet, Agapiam & quancumque foeminam denudato sinu in publico comparentem non posse cohonestare nuditatem suam, aut a peccato excusare praetextu consuetudinis, aut cujusvis demum rationis. *Si de usu patriae est*, ait S. Antoninus 2. part. Summ. Theol. Tit. 4. c. 5. §. 3. *ut mulieres deferant vestes versus collum scissas & apertas usque ad ostentationem pectoris & mamillarum... valde turpis & impudicus est talis usus; & ideo non servandus.* Clemens Alexandrinus Pædag. L. 2. c. 2. eodem modo loquitur: *Nullo modo permittendum est mulieribus, ut nudam aliquam corporis partem offerant viris, ne ambo prolabantur; hi quidem, ut ad videndum incitentur; illæ vero, ut quæ in se virorum intuitum attrahant.* Pontas.

**NOTA.** Hæc consuetudo vel potius corruptela saltem aptissima est ex apprehensione personarum cujusvis conditionis ac status ad excitandas impuras cogitationes, obscenas imaginationes, delectationes morosas & prava desideria: per oculos enim maxime intrat mors in animam.

**CASUS II.** Leocadia nobili foeminae ad sacram Synaxin pectore valde denudato, ac genis fucatis accedenti parochus publice denegavit sacram Communionem; ast ea ob publicam prostitutionem & scandalum querelam movit parochi. Estne parochus vere coram Deo reus scandali?

**g.** Sola Leocadia rea est scandali & prostitutionis suae, non parochus, qui juste egit ad edificationem populi, & juxta exigentiam muneris sui. *Mulieres*, inquit S. Carolus Act. Mediol. part. 4. instruct. de Sacram. Euch. *non accedant fucis aut pigmentis vultu illito, non pectore nudo aut tenui velo obtecto, sed ita vestito, ut ne præter faciem quidquam cernatur.*

**NOTA.** Videtur tamen, quod parochus prius debuisset monere ejusmodi foeminam, ne accedat in hoc habitu ab humilitate Jesu Christi; & a reverentia Sacramento debita alienissimo. Quod ipsum  
l. c.

l. c. Innuit S. Carolus, dum ait: *Hæc parochus præmonebit & curabit, ut summa reverentia fideles accedant & sumant.*

Vide Missa. Caf. 46. *Ornatus muliebris.*

## VETERANUS.

*Veteranus*, seu emeritus in Gallia dicitur Minister Forænsis, qui per spatium temporis a Constitutionibus praefixum, quod est annorum viginti, munus suum oblit, & qui per literas ex Cancellaria obtentas retinet gradum honoris, jura honoraria, & privilegia, quibus antea gaudebat, dum actu suum exercebat officium. Judex veteranus, seu emeritus jus habet assistendi judiciis, ibique suum dandi suffragium ad lites decidendas. Verum ibi praesidere non potest.

**CASUS.** Aristobulus exactis novemdecim annis in officio judicis censet, se profus esse ineptum ad hoc officium; jamque ipsi consilium datum est a confessario, ut illo se abdicet. Nihilominus libenter illud per unum adhuc annum retineret, ut postmodum impetret literas ac privilegia Veterani. An tuta conscientia suam retinet officium?

**g.** Si Aristobulus vere sibi persuasum habet, se esse incapacem ad hoc officium, tuta conscientia non potest illud retinere adhuc per annum: nemini enim licet administrare officium, aut prosequi munus cujuscumque demum generis, ejus obligationibus satisfacere nequit; id quod vel maxime dicendum de officio judicis, ex cujus sæpe arbitrio pendet bona, honor, & vita privatorum. Dein privilegia veterani ex intentione Principis solum debentur iis, qui per viginti annos digne ac utiliter officium judicis obiere, bonumque Reipublicæ promoverunt. Pontas.

## VIATICUM.

Vide *Communio sacra. Eucharistia.*

## VICARIUS.

**I.** *Vicarius* communiter dicitur ille, qui exercet functiones pastorales aut ecclesiasticas loco alterius, cui naturali quadam officii vel obligationis ratione eadem incumbunt. Talis est vicarius generalis Episcopi, vicarius parochi &c. quorum prior, vicarius scilicet Episcopi nomine Prælati sui per totam dioecesim exercet functiones jurisdictionem voluntariam concernentes; sicut Officialis, qui in jure etiam dicitur

tur vicarius Episcopi, exercet jurisdictionem contentiosam; posterior autem in absentia aut defectu parochi exercet functiones parochiales.

2. Duplex distinguitur genus vicariorum: alii enim sunt *temporanei*, qui ad certum dumtaxat tempus instituuntur, quamdiu scilicet eos retinere placuerit illi, cuius vices obeunt, & cujus nomine potestatem sibi concessam exercent, alii sunt *perpetui*, quorum vicaria potestas fundatur in titulo canonico irrevocabili.

3. Vicarii perpetui suam originem trahunt a Concilio Lateranensi quarto, a quo loco vicariorum amovibilium instituti fuerant per titulum canonicum in omnibus Beneficiis annexam habentibus curam animarum, neque iis exceptis, quæ cuidam Communitati incorporata erant.

4. Quod attinet ad vicarios amovibiles, ad Episcopum pertinet iudicare, an quosdam necesse sit in parochiis instituire; & horum nominatio pertinet ad vicarios perpetuos.

CASUS I. Claudianus Episcopus Oleronensis, propter quædam negotia suæ diœcesis Parisiis commorans, cum comperisset, Vicarium suum generalem obisse, statim scribit ad Georgium Doctorem Parisiensem, eamque constituit Vicarium generalem cum potestate etiam Beneficia conferendi toto eo tempore, quo ipse se detenturus esset Parisiis; additque, se brevi missurum literas commissorias vicariatus. Duobus aut tribus post diebus vacat quædam parochia per mortem parochi. Gerbertus patronus ad eam præsentat Bertinum, & Georgius tanquam Vicarius, & vi potestatis ab Episcopo sibi factæ acceptat præsentationem. Estne saltem valide de hoc Beneficio provisus Bertinus, maxime in foro interno, juxta hanc regulam: *verbo fit gratia?*

3. Vicarius generalis non potest institui absque literis vicariatus commissoriis debita forma confectis, signatis ab Episcopo & duobus testibus, ac in publicum tabularium ecclesiasticum relatis. Hinc, cum Georgius tantum per literas privatas Episcopi, & viva voce fuerit institutus, revera non erat Vicarius generalis: & consequenter provisio & collatio parochiæ facta Bertino nec est canonica, nec valida, etiam in foro interno. Quod hic dicitur de institutione Vicarii generalis, etiam de ejusdem revocatione intelligendum est, quæ pariter in scripto fieri, significari personæ, & tabulario ecclesiastico ingeri debet. De cætero quam primum Vicarius generalis habet notitiam suæ revocationis, etiam quoad forum internum non amplius ipsi permissum est, ut quocumque demum modo se se immisceat negotiis gubernationem diœ-

diœcesis concernentibus; et si acta revocationis ipsi in forma ordinaria significata necdum fuerint.

NOTA. De jure communi valida est institutio hujus parochi; quia a Vicario generali non proprio nomine facta est, sed nomine & auctoritate Episcopi. Memoratæ formalitates ac solemnitates extra Galliciam vix ullibi in usu sunt.

CASUS II. Rathardus Archiepiscopus Armacanus propter persecutionem ex Hybernia se se recipere compellebatur; navis autem, cui se commiserat, a piratis Africanis capta & abducta, ipse vero in servitutem abstractus est. An per hoc expirat potestas constituti ab eo Vicarii generalis?

3. Potestas Vicarii generalis solum expirat per revocationem, vel per mortem naturalem aut civilem Episcopi. Cum autem Episcopus Armacanus per captivitatem mortem civilem non incurrerit, potestas Vicarii generalis non expirat: quamvis enim servitus proprie dicta morti civili æquiparetur, id tamen juxta Fagnanum dici non potest de captivitate, in quam Christiani injuste ac violenter a paganis, Turcis, infidelibus aut hæreticis abripiuntur; cum id in nullo Canone reperitur expressum. *Pontas.*

CASUS III. Bernardinus Vicarius generalis abeunte suo Episcopo in provinciam exteram ac in itinere mortuo, per integrum mensem non accepit de ejus morte nuntium; & interea plura contulit Beneficia, literas concessit dimissorias, aliasque functiones officii sui exercuit. An omnia hæc ejus acta intra hunc mensem valent?

3. Verum quidem est, potestatem Vicarii generalis expirare per mortem Episcopi; nihilominus tamen omnia Bernardini acta, etiam collationes Beneficiorum, & concessionem literarum dimissoriarum, si specialiter hæc ipsi potestas fuit commissæ ab Episcopo, sunt habenda pro validis: quamdiu enim mors Episcopi fuit incognita, tamdiu Bernardinus publice habebatur pro Vicario generali; & Ecclesia in ejusmodi eventibus censetur supplere, quod tantum est de jure humano, ad conservandam tranquillitatem conscientiarum, evitandas lites, ac removenda scandala, quæ alias oriri possent. *Pontas.*

CASUS IV. Aristophanes Vicarius generalis Spirensis admisit permutationes Beneficiorum, & resignationes parochiarum, quin specialem ab Episcopo potestatem habuerit conferendi Beneficia. Potuitne sic agere?

3. Eadem requiritur potestas ad recipiendam resignationem, & admittendam permutationem, quæ requiritur ad conferenda Beneficia: ejusdem namque potestatis est exuere, cuius est investire. Hinc Aristophanes non potuit in casu pro-

posito admittere permutationes, nec recipere resignationes. *Pontas.*

CASUS V. Archilochns Vicarius generalis vi specialis potestatis conferendi Beneficia ab Episcopo sibi factæ contulit parochiam vacantem Gabrieli; & Episcopus hujus collationis ignarus eandem contulit alteri. Cajusnam collatio est legitima?

ꝑ. Propter conferentis ampliozem prærogativam, ut ait Bonifacius VIII. Cap. *Si a Sede.* 31. Lib. 3. Tit. 4. in 6. prævalet collatio facta ab Episcopo. Rebuffus addit aliam rationem: dum scilicet Episcopus ipse contulit Beneficium, censetur saltem pro hac vice revocasse potestatem Vicari generalis, eadem ferme ratione, qua procuratori ad pertractandum negotium nominato censetur revocatum esse mandatum, dum Principalis ipse causam agere incipit. *Pontas.*

CASUS VI. Archippus Vicarius generalis Archiepiscopi Capuani ob negotia domestica invito Archiepiscopo profectus est Neapolim. ibique exercuit quosdam actus jurisdictionis voluntariæ Archiepiscopus brevi post ejus abitum servata debita forma revocavit potestatem illius. Valentne actus exerciti ab Archippo, antequam facta revocatio ipsi innotuit?

ꝑ. Potior ac sanior pars Canonistarum censet, hos actus jurisdictionis voluntariæ esse validos. Cabassutius L. 1. c. 13. n. 15 ait: *Quamdiu aliquis, quantumvis perversus, sustinetur in officio: valent ejus acta, ut communiter docent juris interpretes.* *Pontas.*

CASUS VII. Nemefius Vicarius generalis obortis sibi cum Episcopo controversiis, ab eo viva voce fuit privatus suo officio, sed clam aliis. Nemefius hoc non obstante approbavit quosdam confessarios, aliosque actus suæ jurisdictionis exercuit. Num valent omnia ista?

ꝑ. Revocatio hæc, cum palam ac publice non innotuerit, non extinguit jurisdictionem Nemefii, ab omnibus adhuc habiti pro Vicario generali. Hinc omnia, quæ post revocationem hanc secretam ac verbalem tantum egit, sunt habenda pro valide ac canonice actis. *Pontas.*

CASUS VIII. Pantaleon Vicarius generalis nominatus ab Adolpho, qui ad Sedem Episcopalem promotus a Rege regioque diplomate jam instructus erat, plures confessarios approbavit, aliosque actus jurisdictionis voluntariæ exercuit; licet Adolphus Sedis episcopalis possessionem nondum ceperit, nec Pontificias Roma Bullas acceperit. Valentne hæc acta a Pantaleone?

ꝑ. Nomi-

ꝑ. Nominatus ad Episcopatum, & solo diplomate regio instructus non potest Vicarium generalem constituere pro spiritali regimine dioceseos, cum ipsemet taliter nominatus in Episcopum non possit ullam jurisdictionem in spiritalibus exercere juxta Concordata gallicana, priusquam Bullas Pontificias obtinuerit. Hinc institutio Pantaleonis in Vicarium generalem nulla est, ejusque acta invalida; cum solus Vicarius generalis ac Officialis Capituli jurisdictionem spiritali, tam voluntariam quam contentiosam exerceant Sede vacante. Certum tamen est, quod Episcopus, quamprimum Bullas Pontificias obtinuerit, pleno jure potestatem episcopalem exercere, ac unum aut plures Vicarios generales constituere possit, etiam antequam possessionem adiit. *Pontas.*

NOTA. Hæc denuo peculiaris sunt regno Galliæ. In Germania plerumque, dum eligitur Episcopus, comparet in loco Nuncius Apostolicus, qui ut legatus Pontificius mox post electionem confirmat electum.

CASUS IX. Pomponius parochus obiit; Leonardus vicarius ejusdem hoc non obstante functiones parochiales obiit, ut ante mortem parochi. Habetne hanc potestatem?

ꝑ. Leonardus non potuit post mortem Pomponii amplius assistere matrimonii, cum Concilium Tridentinum id solum permittat in præsentia proprii parochi, qui utpote mortuus non potest amplius delegare hanc potestatem. Potest tamen Leonardus confessiones excipere, ut prius; quia approbatio ab Episcopo obtenta semper subsistit. *Pontas.*

NOTA. Præter approbationem etiam opus est jurisdictione, quæ per mortem parochi delegantis exspirat. In Germania post mortem parochi mox Decanus Capituli, ad quod pertinet parochia, autoritate Episcopi committit potestatem exercendi omnes functiones parochiales vel capellano defuncti parochi, vel alteri sacerdoti approbato ab Episcopo, donec novus instituat parochus.

CASUS X. Leonardus vicarius in quodam pago dependente ab aliqua parochia uno milliari distita cum fuisset infirmatus, functiones parochiales sibi incumbentes committit alteri sacerdoti, idque inconsulto parochi loci. Potuitne id fieri valide?

ꝑ. Delegatus quidem delegare non potest, ut habet tritum illud juris; nihilominus tamen in casu præsentis juxta D. Thomam quodlib. 12. art. 31. præsumendum est, parochum Vicario suo Leonardo tacitum dedisse consensum, ut possit per alium obire functiones sibi commissas, quas personaliter obire non possit. Hinc Leonardus licite & valide potuit alteri presbytero committere functiones, quas ipse exercere ob-

R r 5

infr-

infirmatam non potuit. Omnes autem prorsus functiones eidem committere non potuit sine consensu & approbatione parochi. *Pontas.*

CASUS XI. Episcopus quidam Vicario suo generali delegavit potestatem in quibusdam casibus dispensandi super certis matrimonii gradibus. Potuitne Episcopus hanc potestatem delegare?

ꝑ. Potuit; & si Episcopus post duos suorum prædecessorum est in possessione dispensandi hac in re, potest id continuare; licet melius & consultius faceret, si Romam mitteret ad explorandam mentem Pontificis. *Fromageau.*

CASUS XII. Vicarius quidam generalis jam per quadraginta annos administravit diocesin amplissimam, eamque actu administrat Sede vacante. Quam primum autem novus electus fuerit Episcopus, suo se abdicare officio cogitat. Num tanta conscientia suam dimittit officium?

ꝑ. Communiter loquendo potest illud dimittere, propositis Episcopo motivis suis, & petita dimissione. Si tamen adhuc idoneus sit ad gerendum cum fructu officium istud, novusque Episcopus eum dimittere nolit, divinam in hoc voluntatem adoret, humiliterque se submittat, ac idoneum virum ab Episcopo sibi adjungi postulet, quem sibi successorum efformet. *Fromageau.*

CASUS XIII. Potestne Episcopus presbyterum omni destitutum officio cogere, ut tanquam vicarius derelictam parochiam administraret?

ꝑ. In rigore loquendo potest Episcopus talem cogere, etiam sub pœna suspensionis. Si tamen presbyter talis graves rationes haberet id recusandi, easque Episcopus audire aut acceptare nolit, ab Episcopi mandato appellare debet. *Fromageau.*

Vide *Collatio Beneficii. Dimissoria. Excommunicatio.*

## VIDIMATIO.

1. Per *Vidimationem* seu *Visa* intelliguntur litteræ, in quibus Ordinarius testatur, visas a se fuisse provisiones ad Beneficium Roma obtentas, provisumque in examine doctrinæ ac morum idoneum fuisse repertum ad possidendum Beneficium eique inserviendum; & hæc clausula necessario dictis litteris inferenda est, ita ut vidimatio ad provisiones Romanas in forma dignum concessa abusiva censeatur, si in ea non denotetur, provisum fuisse examinatum, & idoneum iudicatum.

2. Abs-

2. Absque prævia vidimatione Beneficiarius non potest possessionem sumere Beneficii; quin se intrusionis reum faciat, & Beneficium ipsius pro vacante habeatur.

3. Quando Episcopi aut Vicarii generales vidimationem proviso dare renuunt, tenentur id scripto declarare, expressa simul causa recusationis.

4. Possessio Beneficii solum civilis a iudice sæculari obtenta nullum prorsus tribuit jus exercendi functiones spirituales; donec & Episcopus concesserit vidimationem, aut eo recitante Superior immediatus.

5. Provisus Beneficio, si ipsi ab Episcopo, Metropolitanò ac Primatè vidimatio denegata fuerit, non poterit amplius agere contra istam triplicem denegationem, nec unquam sententia iudicis sæcularis habebit rationem aut effectus vidimationis episcopalis.

6. Etiam provisus in forma gratiosa, etsi missio prius Romanæ testimonio Episcopi de vita, moribus ac doctrina provisiones obtinuerint, nec a Papa se denuo sistere Episcopo iussu fuerit pro examine, tenentur se præsentare Episcopo, in cuius diocesi Beneficium situm est, observatis insuper omnibus aliis formalitatibus ordinariis, maxime si Beneficium sit curatum.

7. Beneficio provisus potest illud resignare etiam possessione non accepta, nec obtenta vidimatione; & propterea exorta lite de titulo Beneficii nunquam attenditur ad diem datæ vidimationis, sed solum ad diem obtentæ provisionis.

CASUS I. Aichardus acolythus iussu Episcopi, qui eum ad statum clericalem minime vocatum iudicabat, ex episcopali seminario, ubi per octo menses se detinuit, eiectionis est. Verum elapsis tribus mensibus obtinuit in Curia Romana parochiam suo a patre sibi resignatam; quapropter ab Episcopo provisionis vidimationem petiit, quam tamen Episcopus dare recusavit, eum ob morum perversionem ad recipiendos sacros Ordines indignum reputans. Hinc Aichardus Metropolitanum adiit, & ab eo vidimationem impetravit; sicque parochiæ possessionem adiit. An Episcopus iuste vidimationem denegavit? Num Metropolitanus vidimationem absque peccato indulgere potuit? An Aichardus salva conscientia retinere potest parochiam?

ꝑ. Episcopus iuste potuit, immo debuit denegare vidimationem eiectionis ex seminario Aichardo. Metropolitanus tanta conscientia non potuit statim Aichardo concedere vidimationem merito denegatam ab Episcopo; debuisset potius eum remittere suum ad Episcopum ad probandam illi suam innocentiam, & ni intra definitum tempus sufficientes

inno-

innocentiæ probationes attulerit, absque vidimatione eum dimittere. Aichardus denique parochiam, cujus possessionem contra canones adiit, tuta conscientia retinere non potest. Responso hæc fundatur in quadam declaratione Congregationis Cardinalium Concilii interpretum, quæ videri potest in Bullario magno Tom. 2. pag. III. Pontas.

CASUS II. Cordulphus presbyter obtento in Curia Romana Beneficio curato resignato petiit ab Episcopo suo vidimationem provisionis, quam tamen non impetravit; eo quod ab Episcopo examinatus ad septem quæstiones in materia Sacramentorum ineptissime responderit; quod motivum etiam in instrumento recusationis allegatum fuit. Verum Cordulphus convertit se ad Metropolitanum, a quo examinatus satis idoneus inventus est, sicque vidimationem obtinuit, vi cujus & Beneficii possessionem sumpsit. An Metropolitanus tuta conscientia Cordulpho vidimationem concedere potuit?

ꝑ. Metropolitanus non habet jus de novo examinandi jam examinatum & rejectum a suo Suffraganeo; nisi ipsi certo constet, eum ab Episcopo injuste fuisse rejectum, aut in tentamine quæstiones fuisse propositas circa objecta curam parochialem aut Clericum vel sacerdotem non attingentia. Totum igitur, quod Metropolitanus hoc in casu agere potuisset ac debuisset, consistit in hoc, ut Cordulphum ut male appellentem a sententia sui Episcopi ad eundem sine vidimatione remitteret. Pontas.

CASUS III. Clericus Episcopus justam habens rationem dubitandi de probitate morum Alphonſi, qui in Curia Romana de parochia sibi resignata proviſus in forma dignum vidimationem petierat, eum per octo menses ablegat ad seminarium episcopale. An Alphonſus, qui re ipsa est innocens, & solum per calumniam inimicorum apud Episcopum diffamatus, tenetur obedire, & se exponere periculo amittendi parochiam,posito quod resignans intra sex menses in actuali adhuc possessione parochia moriatur, antequam ipse ejusdem possessionem cepisset? Num poterit recurrere ad Metropolitanum?

ꝑ. Alphonſus, etsi innocens, tenetur obedire suo Episcopo, cui jus est tentandi probitatem morum ipsius in seminario; quod medium ordinarium ac legitimum est, quod in ejusmodi circumstantiis adhibere potest Episcopus. Metus propterea amittendi parochiam inanis est: non enim necessario requiritur, ut publicatio resignationis fiat per aditionem possessionis Beneficii; sed sufficit, si probari possit, aditio-

tionem possessionis legitime impeditam, & vidimationem provisionis fuisse petitam. Pontas.

CASUS IV. Reinerius presbyter diocesis Burdigalensis parochia proviſus in Curia Romana petitam a suo Archiepiscopo vidimationem impetrare non potuit, idque, ut ipse quidem aiebat, ob injuste & absque omni causa averſum Archiepiscopi a se animum. Verum Reinerius a supremo tribunali sæculari facultatem obtinuit ad primum provinciæ Episcopum recurrendi, a cujus Vicario generali vidimationem consecutus parochiæ possessionem adiit. Validane est hæc vidimatio, & aditio possessionis canonica?

ꝑ. Vidimatio hæc nullius est valoris, nec aditio possessionis canonica: nam si Episcopus diocesanus denegat vidimationem, recurrendum est via juris ad Superiorem ejus, qui in præſenti casu est Primas vel Papa. Tribunalium sæcularium profus non est hac in re quidpiam decernere, prohibere aut permittere. Pontas.

CASUS V. Carolus proviſionem Decanatus ecclesiæ metropolitanæ Turonensis a patre suo resignati in Curia Romana obtinuit, & impetrata a Capitulo vidimatione ejusdem possessionem cepit. Suntne hæc vidimatio & possessionis aditio canonice?

ꝑ. Capitulum arrogavit sibi in hoc casu jus private ad Archiepiscopum pertinens. Hinc & vidimatio & possessionis aditio sunt nullæ ac invalidæ. Pontas.

Vide Examen.

## V I S I T A T O R .

Tridentina Synodus Episcopis mandat, ut singulis annis totam suam diocesim, aut saltem majorem ejus partem visitent; & si legitimo aliquo impedimento obstante ipsimet visitare non possint, per Vicarium generalem vel alium visitatorem privatam eam visitari procurent. Eadem sacra Synodus Episcopos monet, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves, onerosive sint in visitatione, ac a nemine quidquam exigant exceptis tantum victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter moderateque pro temporis, & locorum circumstantia erunt ministranda. Idem Concilium docet Episcopos modum, quo suas visitationes utiles reddere possint.

CASUS I. x. Potestne Episcopus, Cathedralis suam visitans, Archidiaconos privare suis proventibus, qui a mensa capitulari separati sunt, quemadmodum alii Canonici privantur,

tur distributionibus, si sunt absentes? 2. An Episcopus tempore visitationis possit decreto sancire, ut tam Canonici, quam etiam Archidiaconi, si ultra tempus a Concilio Tridentino concessum absentes esse velint, ab ipso facultatem longioris absentiae petant? 3. An Vicarius Episcopi, si inter Canonicos sit postremus, corrigere possit errantes in choro Canonicos? 4. Potestne Episcopus Scholastico præcipere, ut conciones habeat, aut illas per alium fieri procuraret? Num etiam Scholasticus appellare poterit contra tale mandatum prætendendo abusum, aut usum contrarium? 5. Potestne Episcopus præcipere Capellanis, ut suas exhibeant provisiones, præsertim illi, qui alio quoque in eadem ecclesia gaudent Beneficio? 6. Potestne Episcopus in visitatione Canonicos, qui ipsius Officiales sunt, comites sibi adjungere? 7. Potestne Episcopus tempore visitationis præcipere omnibus suæ Cathedralis Beneficiariis, etiam iis, qui simplici tonsura initiati sunt, ut se sistant in habitu? 8. Potestne Episcopus qua Visitator inquirere in psalmodiam, & educationem puerorum choro inservientium? 9. Potestne Episcopus præcipere Capitulo, ut Cantores & Musicos, quos recipere cogitant, sibi prius præsentent, &c.

3. 1. Non potest Episcopus Archidiaconos privare suis proventibus, cum eorum proventus separati sint a mensa capitulari. 2. Non potest obligare Canonicos, ut ab ipso petant licentiam longioris, quam Concilium Tridentinum permittit, absentiae. 3. Potest Scholastico præcipere, ut singulis Dominicis concionem habeat, Scholasticus vero non potest obtendere præscriptionem. 4. Potest etiam exigere a Capellanis, ut exhibeant suos titulos, & qui duobus Beneficiis *sub eodem tecto* gaudent, obtentam dispensationem. 5. Potest tempore visitationis omnibus suæ ecclesiae Beneficiariis præcipere, ut se præsentent sistant, non tamen potest ferre censuras in absentes. 6. Potest inquirere in educationem puerorum choro inservientium, potest etiam mandare, ne Cantor recipiatur, nisi suum *Execat* exhibere possit. Episcopo nihil innovandum in usu ecclesiae suæ, v. cuius SS. Sacramentum non aservatur in altari summo. Episcopus potest præcipere, ut in ecclesia cathedrali loco vicarii amovibilis instituat perpetuus, qui parochiae ecclesiae annexæ deserviat. *De Lamet.*

CASUS II. Canonice Remiremontii gaudent veris Beneficiis. An propterea tenentur se submittere constitutionibus a visitatoribus Apostolicis ad corrigendas deordinationes factis?

3. Tenentur se submittere. Hæ Canonice poterunt recurrere ad Summum Pontificem, pro conservando habitu sæculari extra ecclesiam: luxu tamen vestium quam longissime relegato semper & ubique pro decencia status sui modestiæ studeant. *De Lamet.*  
Vide *Archipresbyter.*

## UNIO BENEFICIORUM.

1. *Unio Beneficiorum est conjunctio unius Beneficii cum alio facta autoritate Papæ vel Episcopi, ita ut ex duobus Beneficiis fiat unicum.* Duas jus Canonicum admittit species unionis; unam solam *ad tempus*, nimirum usque ad obitum Beneficiarii, in cuius gratiam facta est, & alteram *perpetuam*; & unio hæc posterior sola in non nullis provinciis recipitur; eo quod ad *commune* Ecclesiae bonum sola conferre dignoscatur.

2. Triplici modo fieri potest unio. 1. Quando duo Beneficia coalescunt in unum. 2. Quando una ecclesia subicitur alteri, eidemque accessorie unitur. 3. Quando duarum ecclesiarum unitarum quælibet retinet sua bona privata, sua jura, sua privilegia, suas obligationes ac prærogativas, ut si v. g. ambæ ecclesiae unitæ sunt parochiales, & in hoc ipso statu perseverant, quo fuerunt ante unionem, ita ut quælibet habeat suam fabricam, peculiare suos redditus, distinctos curatores, & unus idemque parochus in hisce ecclesiis alternative singulis Dominicis divina celebret officia.

3. Unio parochiarum, præbendarum, & aliorum simplicium Beneficiorum de jure pertinet ad Dicesanum, ut ex ipsa declaratione Concilii Tridentini Sess. 21. c. 5. de reform. patet, quod in vanum Episcopos hac in re considerat ut delegatos Papæ; quia hoc jus independentem a Papâ eorum dignitati annexum est, ut expressis terminis fatetur Cœlestinus III. Cap. *Sicut unire.* 8. Lib. 5. Tit. 31.

4. Omnem Beneficiorum unionem præcedere debet inquisitio, quæ dicitur *de commodo & incommodo*; vocandique sunt ad eam Patroni & omnes, quorum quoquo modo interesse potest; eorum tamen in numero non computantur ipsi Titulares; quia per unionem non privantur suis Beneficiis quamvis unitis, quamdiu vixerint: unio enim primum consequitur effectum suum post eorum obitum.

5. Papa solus potest unire Episcopatus, aliaque Beneficia consistorialia; solus quoque potest unire unum religiosum Ordinem cum alio, aut disjungere; cum consensu tamen Principis sæcularis.